

www.e-rara.ch

D. Casimiri Christophori Schmidel ... Descriptio itinieris per Helvetiam Galliam et Germaniae partem ann. MDCCLXXIII et MDCCLXXIII instituti

**Schmidel, Casimir Christoph
Erlangae, MDCCLXXXIV [1794]**

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 2787

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-30029>

Appendix observationum.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



tutinis *salinas Moosbachenses*, domo gradatoria instructas, in valle sitas. Adscendimus iuga montium nive tunc tecta, et accedimus oppidum *Weikersheim*, solo argilloso fissili ad *Tubarim* situm; et multa nocte *Mergentheimium* intramus. Ibi pernoctantes altera meridie *Rothenburgum* ad *Tubarim* attingimus, montosis calcariis collibus ex ea plaga impositum, donec eodem die huc revertimur, et iter satis longum et diu protractum claudimus.

APPENDIX
OBSERVATIONVM

I.

DE ALIQVIBVS PLANTIS PILOSELLOIDEIS
ad pag. 17.

Plantae piloselloideae mihi quidem varias difficultates habere videntur.

- 1) Halleri *HIERACIVM* Hist. n. 50. folia radicalia late lanceolata, apice non acuminato, utrimque pilis non valde longis rigidulis (in respectu ad reliquas adfines) denso satis vestita possidet. Caulis erectus unum alterumve foliolum ejusdem formae sessile gerit, cum ipso caule pariter pilosum, summa caulis hirsutiora ligulas aliquas similes gerere solent et tandem dividuntur in corymbum 6 vel 8. florum in pedunculis simplicibus singulorum, interjecta aliquando minima ligula vel rudimento floris quasi ferioris. Calicis foliola simili modo pilis longis denso confersa, inter quos saltem aliquos nigros deprehendere potui. Florum colorem ex ficcis determinare vix potero.

Interim Idem pro Varietate β) dat *Hieracium aurantiacum* Linn. si recte sentio, de quo infra.

Simile omnino et quod ad omnia exacte concordans misit amicissimus Schreberus, Sedini collectum, adeoque Germania idem fovet *). *Bauhinus*

*) Vix ibidem sponte natum fuit, nisi forte in rejectamentis hortorum. *Adn. Edit.*



hinus et post eum Hallerus flores primo rubentes, postea aurantios describunt.

- 2) Porro Hallerus in Edit. Ruppilii Iida p. 204. describit *PILOSELLAM*, in qua pagina foliorum radicalium, lanceatorum pariter non valde et semper acutorum, averfa, aequae ac Caulis suprema, sic et Calicinarum foliorum, tomento brevissimo testata sunt, (quale praecedens planta non habet,) et pagina foliorum adverfa discum quidem glabrum habet, sed pluribus pilis longis mollibus albidis, prodeuntibus ex poris ad basin nigricantibus, conspersa est. Dentes neque in hac, nec praecedente, notabiles reperire potui, si forte aliqua minima rudimenta excipis. Ultra tomentum hoc, quod Hallerus ibidem farinosum vocat, foliola calicina etiam pilis nigricantibus conspersa sunt. Caulis nudus una saltem alterave ligula similis fabricae instructus, infra quidem pilis aliquantum longioribus, sursum vero tomento laxo conspersus, versus summa in aliquot ramulos, subsequente ordine, duos tresve dividitur, quorum quilibet duos tresve pedunculos gerit, singulos unifloros, successive efflorescentes.

Acutissimus Schreberus etiam hoc communicavit. Hallerus Hist. hanc ad Ruppium descriptam plantam ad n. 51. b) seu Nomencl. 51* citat.

- 3) Idem amicus impertitus est plantam aliam adhuc, Sediti etiam collectam, quae ad radicem non solum, sed et in caule ad longa intervalla folia habet longa, vix lanceata vocanda, sed lingulata quasi apicis paullo angustioris, quae omnia pariter ac caulis inferiora glaberrima sunt, si unum alterumve pilum excipis. Superficies foliorum inferior pallidula est, etsi superior quoque non intense viridis vocari possit. Margo minima quaedam rudimenta denticulorum rara monstrat, quibus pilus inhaeret, ob quam causam etiam facta videntur. Suprema caulis et corymbus florifer, aequae ac Calicina foliola extus pilis brevibus conspersa sunt, multo brevioribus quam Hall. n. 50. adeo ut aliqui fere tomentum istud sub n. 2) notatum imitentur, ipsis his pilis aliqui pili nigricantes misceri videntur. Caulis ultra folia duo vel tria caulina sessilia, sed distantia inter se ut dixi, sursum aliquot ligulas parvas et angustas gerit. Corymbus ramosus est, ramis singulis 2. 1. 3. pedunculos emittentibus.

Hinc fere videtur, hanc plantam proximo ad illam n. 2) descriptam accedere.

Neutra tamen harum sub n. 1. 2. et 3. descriptarum stolones gerit, neque eorum vestigia ulla monstrat.

4) Se-



- 4) Sequitur nunc planta, quam Laufannae reperi, et quam omnium maxime cum Hall. Hist. n. 52. concordare credere possem, exceptis stolonibus, de quibus in pluribus exemplaribus a radice decerptis ne minimum quidem reperire potui, etsi Hallerus de sua n. 52. idem praedicet.

Interim Hieracium aurantiacum, ab Hallero ad n. 1. citatum non nisi ex hortis apud nos depromi posse videtur. Stolones primo frequentes emittit. Folia late elliptica, aliquot caulina, raro pilo aequae ut priora conspersa. Caulis alba quasi farina superiora versus infucatur, in qua non solum pili nigerrimi acuti, sed et minores aciculae capitatae copiosae reperiuntur distributae. Corymbus ramosus pariter ac Calix pilis nigerrimis vestitus, quibusdam pilis albidis intermixtis.

- 5) *HIERACIUM cymosum* Linn. folia radicalia longe lanceata quoque gerit, pilis raris conspersa caeterum glabra utrimque. Caulis nudus tomento brevissimo laxo, folia Calicina ad ipse eodem conspersa sunt, pilis tamen quibusdam nigricantibus inter alios albidos intermixtis.

In ordinandis Synonymis abyssus est, quam quoad potero, intrabo, vix vero extricabo. Hallero tamen major fides habenda videtur, qui Bauhinianis usus est.

Quod igitur ad 1) attinet f. Hieracium caule subnudo, foliis ovatis integris, floribus umbellatis aurantiis. Hall. Hist. n. 50., (Folia quidem ovata vocat, quae mihi late lanceata videntur, quia basin non separant, sed ex principio angustiore sensim in latiore formam transeunt, tolerari tamen poterunt) citat. Hieracium Germanicum J. F. Gregorii &c. Col. Ecphr. II. p. 28. icon pag. 30. quae omnino plantam Halleri ratione formae foliorum et positione &c. bene exprimit, etsi stolonem habere videatur, et serpere dicatur. Exemplar vero Halleri pilos nigros, non omnes sed saltem inter pilos rigidos flaventes dispersos, monstrat. Similis omnino structura est in n. 2) Sedino missa planta, adeoque non solum pro eadem haberi potest, sed et Germaniam sicut Helvetiam incolit.

Interim dum adhuc Linnaeus sub Hieracio suo fol. integris, caule subnudo simplicissimo piloso corymbifero Sp. p. 1126. n. 9. seu aurantiaco itidem Columnae Eph. II. T. 30. citat et Germaniam pro patria etiam nominat, quaeritur num hoc Hallerianum et Sedinense Hieracium idem sit cum Pilofella indica Cornuti vel Syriaca C. B. quae profunde rubros et quasi sanguineos flores juniores, ex rubro profunde



funde aurantios adalios profert, farinosum scapum, pilos in eo et calice nigerrimos et aciculas nigerrimas intermixtas gerit, folia elliptica pilis albidis obfessa, densius vel rarius, quod vix credere poterit quis, nisi culturam in immensum mutare posse plantam aliquam, simul statuat. Quantum scio, ea forma nondum reperta erit planta spontanea in Germania, etsi audiverim, talem repertam fuisse versas Pappenheim, de quo rumore curatius inquiram, num ne ex semine ex horto in agros delato, orta fuerit.

Hallerus quidem ex C. B. nullum nomen ad n. 50. excitat. Linnaeus vero ad Hieracium aurantiacum l. c. duplex nomen C. B. combinat, nempe Hieracium alp. non laciniatum flore fusco. Pin. p. 128. n. X. quod omnino coincidere videtur cum Hall. n. 50. sicut Prodr. p. 65. Descriptio notat in Rhaetia reperiri. Alterum dein Hieracium hortense floribus atro purpurascens C. B. Pin. p. ead. n. XI. et Prodr. p. 65. n. 18. de quo ipsi C. B. visum est cultura oriri, etsi descriptio vix cum Linnaeana definitione coincidat. Tentabo igitur translationem feminis in agros, ut certi quid eruam.

Ad 2) Certus esse possum, quod exemplar sub hoc numero sit Halleri planta ad Ruppium notata, siquidem Idem sub Hieracio suo caule subnudo, fol. hirsutis lanceolatis, floribus umbellatis petiolis ramosis. Hist. n. 51. b) Nom. 51*. ibi inter Synonyma collocat: Pilosellam majorem alteram Tab. p. 197. quae a C. B. Pin. p. 262. n. VI. Pilosellae suae majori alteri subjicitur, non vero Pilosellae montanae hispidae parvo flore C. B. Pin. p. eod. n. V. ad quam adcommodat Pilosell. macrocaulon &c. Col. Eeph. I. p. 249. quae justo modo pertinere videtur ad plantam Halleri 52. s. illam n. 4. nobis dictam. Hallerius tamen nomen Linnaeanum Hieracii cymosi Linn. Sp. p. 1126. n. 7. ad suam plantam n. 51. b) Nomencl. n. 51*. adcommodat. Ex his concludi posset, Hallerum Linnaei Hieracium cymosum pro sua planta n. 51. b. agnoscere. Si vero Linnaei descriptio confertur, cum exemplaribus neque, neque cum descriptione Halleri concordare videtur. Linnaeus pilos rigidos utrimque et folia ideo hispida notat, et basin scapi pilosam, pro qua videnda ad aliquam saltem adfimationem acutissimus oculus requiritur. Hallerius vero breves pilos, ad Ruppium farinosos quasi ut fere sunt, requirit, et quae plura sunt.

Interea Linnaeus Hieracio suo cymoso adcommodat Hieracium murorum angustifolium non sinuatum, C. B. p. 129. cujus iconem dedit Prodr. p. 67. quam plantam ibidem Hallerius Hieracio suo n. 52. non abs jure, ut videtur subjicit. Iconem J. B. II. pag. 1040. uterque pro Synonymo



nymo tolerat, Hallerus sub n. 51. b) et Linnaeus sub Hieracio cymoso, quae ex Tabernaemontani icone reversa ortum sumit, quamque Hallerus satis bonam vocat, etsi folia perquam pilosa sint.

Quaerendum num planta sub n. 3) a me recensita, non possit esse Pilocella folio angustiore minus piloso (*repens* quod addit, quae tamen absque stolonibus est) J. B. II. p. 1040? quam Hallerus ad n. 52. suum refert; si vero hic numerus 52., ut credo, concordat cum Laufanensi planta n. 4) mihi: diversa esse poterit, laevitate foliorum, quam J. Bauhinus expresse requirit, adeoque major probabilitas ideo non solum, sed et ob angustam formam foliorum, quae pinguntur et describuntur a J. B., vera poterit esse planta Bauhini, quam alii ad aliam plantam traxerunt.

Ad n. 5) Hieracium cymosum L. quod sub hoc lemmate in horto Altorfino legi, ut supra descriptum est, facie ab illo Halleri n. 51*. recedit, nec penitus concordat cum descriptione Linnaei, interim notabiliter non aberrat, nisi quod basis pilosa non sit eminenter talis *).

II.

DE CARDVO ACANTHOIDE

Ruppii, Linnei et Jo. Bauhini
ad pag. 63.

CARDVVS *acanthoides* Ruppii, idem, ut videtur, qui *Carduus spinosissimus* Loesel. fl. Pruss. tab. 5. in salicetis et ad ripas Rednitii, circa Erlangam proveniens, caulis alis et foliis, (forte solum magis dissectis et inferius non adeo incanis), itidem mollitie spinularum, plurimum accedit ad *Cirsium pratense polycephalum* Rupp. Caulis saltem multo altior et multo ramosior, liquidem ad singulas fere alas ramos erectos iterum ramosos, si pedunculos florum praesertim computas, trudit. Capitula florum plerumque pedunculata sunt, rarius sessilia, interdum solitaria, non raro, praesertim vero ad apicem ramorum, flos unus, interdum duo secundarii, presse adcumbunt primario. Calix subrotundus ad ovalem formam aliquantum quidem accedit, non vero ita ut in polycephalo. Componitur ex sex septemve circiter ordinibus squamarum alternarum lineari-lanceolarum, inferiores ordines virides, superiores sentim margine colorantur, intimi duo penitus purpurascunt. Inferiorum ordinum quatuor corpore suo

N 2

fuo

*) Conf. de his plantis celeb. DE vol. I. Basil. 1787. p. 304. 305. Adm. LACHENAL in Nov. Act. Helvet. Ed.



fuo sibi adprimuntur invicem, versus apicem vero in patentem formam retrovertuntur, et dein in aculeum f. spinulam mollem abeunt albidam. Superiores duo, vel tres etiam, ordines in spinulas non ita abeunt, sed potius ex forma sua lineari-lanceolata saltem in apicem acuminatum, plerumque vero is apex in flore juniore intro vertitur et sic absconditur. In nullis vero totius calycis foliolis ne vestigium quidem glutiniferi pori aut glandulae adparet. Margines etiam omnium tenuissimam et laxam lanam interdum exhibent.

Flosculi ex tubo angustissimo cylindrico tereti albo expanduntur in fauces purpureas, profunde satis sectas, ampliores tubo et quinque striis eminentibus leniter notatas, quae abeunt in 5 lacinias erectas lineares purpureas.

Farina staminum leniter purpurascit magis vel minus profunde. Stylus longe prominet, teres leniter curvus, purpureus, supra ubi stigmata incipiunt paullo crassior, et barbula molli ex aciculis non capitatis fucosis formata circum circa, annuli in modum, ornatus. Postea finditur in stigmata duo erecta, sibi invicem contigua, numquam divergentia, linearia, in totum usque apicem qui obtusus est. Pappus simplex semen coronat, per lentem vero tamen minutim ad latera plumosus.

Semen ovato-oblongum, lateribus paullo compressius et parumper introrsum infra curvatum. Caeterum fuscum et laeve. Receptaculum parvum, pilosum, pilis simplicibus lateraliter non plumosis.

De *Carduo acanthoide* Ruppil Hallerus in edit. III. Florae Jenensis perhibet, exemplar siccum, a se visum, simile fuisse *Carduo caule crispo*; quod eo facilius est creditu, quum *Carduus*, quem Erlangae occurrentem descripsi, primo intuitu facile confundi possit cum *Carduo caule crispo*; idem vero curatius inspectus, vere diversus credi potest, ob corollas non inaequales, et reliqua descripta attributa.

Is vero *Carduus caule crispo* J. B. a variis auctoribus cum *Carduo acanthoide* Ruppil confundi videtur. Quum autem Jo. Bauhinus requirat caulem membranis spinosis alatum, folia atro viridia hispida aculeis mordacibus, et capitula foliis mitiora, item Tabernaemontani et Lobelii *Polyacantham* citet, qui etiam bonam iconem dederunt, meliorem Bauhiniana; is *Carduus*, qui apud nos ad vias et pagos copiosus est, et flore purpureo, roseo, albo, quin et luteolo ludit, est *Carduus caule crispo* J. B., illique maxime quadrat. Flosculi quinquesidi quidem, sed una lacinia profundius, quatuor aequaliter incisus, adeo ut bilabiati videantur. Capitula plerumque pedunculata, interdum vero et promiscue sessilibus mixta, magis vel minus lanatis squamis calycinis, prout magis aprico solo
nascun-



nascuntur. Stylus ex columna flaminum in flore maturo longe prominet, stigmate leniter bifido terminatus. Calicis foliola erecta aut leviter divergentia, nervo medio albo in spinulam modicam terminato, absque puncto glutinifero. Pauca lana inter ea regnat, in foliorum averfa parte adhuc parcior. Folia caulina lineari margine definiuntur, ex quo segmenta opposito situ pinnata trifida profiliunt, singula spinoso apice finita, quae etiam eriguntur et plicantur; hinc folia plicata adparent. Vtraque pagina fere glabra, supina magis. Alae caulis foliis ex parte decurrentibus quidem respondent, sed etiam aliae non ad folia pertinentes interponuntur, hinc plerumque quaternae sunt, striis caulis respondentes, singulae bifidae aut trifidae, aculeatae. Semina incurva, striata. Pappus simplex.

Hae qualitates me inducunt, ut credam, Linnaeum exemplaria nostri Cardui describere pro *CARDVO* suo *acanthoide*, et eodem J. Bauhini. Hic vero longe alias notas requirit, et Monspelii solum suam plantam invenit; ubi vero etiam rarus esse videtur, quum Magnolius in Botanico Monspelienfi expresse notet, se eum invenire non potuisse. Gerardus quidem et Goüan eum habent, sed absque omni descriptione, solo addito nomine Linnaei, quod non quadrat in verum J. B. Carduum *acanthoidem*, sed fortassis solum in nostrum. Hinc facile credo, hos Auctores similem reperire potuisse, quum ubique vulgaris sit; non vero plantam veram Bauhini.

Vera planta *CARDVI acanthoidis*, J. B. III. p. 56. tandem ab optimo meo Gerardo missa, confirmavit supra dicta, hunc Carduum vere differre a Linnaeano *acanthoide*. Descriptio hujus, a Linnaco data, non valde quadrat cum exemplari Gerardiano; cui vero descriptio et icon Bauhini bene satis respondent. Caulis, pro more congenerum, quatuor alis spinosis tegitur. Folia sessilia, maximam caulis partem amplexa, dilatantur in paginam superne atrovirentem, venis tamen dilutioribus distinctam, inferne lanatam, ita tamen ut nervi liberiores sint; longitudo eorum latitudinem bis explet, per totum fere caulem margo satis profunde sinuatur, plicis interdum intermixtis, et sinus terminantur dentibus magnis, late triangularibus, quorum singuli tribus vel pluribus minoribus dentibus, pariter ac ipsi sinus sibi plerumque oppositis, secantur; singulae laciniae spina longa flava terminantur, sicut et reliquus margo intra dentes spinulas exserere solet; apex totius folii etiam in acutam spinam terminatur. Averfa disci pars lana intricata tegitur non adeo densa, ut nervos penitus abscondat. Adversa pars, etsi virens, punctis eminentibus conspergitur, ex quibus singulis pilus tener emergit. Ex alis foliorum ramus secundarius progerminat, quod continuat usque ad summa caulis, quae folio minori sustentata nudiora conspiciuntur villo denso tecta, qui sub calicibus finitur



quod ad maximam partem, et raris filis ad calices saltem continuat. Clauditur caulis tribus vel quatuor floribus, erectis, mediocri mensurae, corni magnitudine, quorum Calix, sex vel septem circiter ordinum, conflatur ex squamis e latiore basi in longe lanceatam formam, et, in tribus exterioribus seriebus, aculeo recto terminatis, nervo prominulo absque puncto vel linea glutinifera, (viridia omnia) mediis praecipue lanugine laxa interstinctis. Interiores duae series foliolorum calicis aculei apicem ita minuunt, ut fere inermes sint. Corollae purpureae, non multum ultra calicem prominulae, quinquefidae quidem sed fere bilabiatae mihi videbantur, tribus laciniis invicem magis connexis, et duabus reliquis itidem prioribus, (quod tamen saepius rimandum erit,) ex tubo angusto tereti longo albo in ventrem prius modicum expansae, pappum simplicem parum excedunt. Pedunculi florum parvi, lanati, non alati sunt.

Differt igitur hic a *Carduo acanthoide* Ruppil (qui nomen Bauhini non bene adhibuit) spinis foliorum rigidioribus, forte et forma foliorum exacte sumpta, capitulis floriferis magis lanatis, vix solitariis, foliolis calicinis latioribus, nec retroversis, sed rectis omnibus, magis aculeatis.

Differt a *Carduo pycnocephalo* Triumfetti foliorum forma, praecipue calicum foliolis, quae in *pycnocephalo* punctum glutiniferum gerunt, quibus acanthoides J. B. penitus caret. Quod capitula decidant, aliis *Carduis* non infrequens est.

Linnaei definitio adeo lata est, ut pluribus applicari fere possit. Capitula solitaria characterem intrare nequeunt, cum ubique eam naturam non servet, ut dictum est. *Carduus nutans* toto habitu, non folis calicibus, differt, quod etiam de *Carduo crispo* J. B. valet. Corollularum quidem bilabiatarum mentionem facit; sed alia ratione divisae. Si vero sustinet, in specie sua quinta, quam pro *Carduo crispo* J. B. proponit, flores ejusmodi inaequaliter partitos non reperiri, id experientiae contrariatur, dum in hoc *crispo* corollulas etiam inaequaliter fectas repererim.

